



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Cap. III. Concilium Rothomagense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

illa desumpfit. Tot sunt ferè hujus rei exempla, quot Statuta hujus Synodi; nam pleraque è Concilio Tridentino derivata sunt; iisdemque, ut plurimum, verbis concepta; nec tamen illud laudatur. Hoc specialiter videtur in 4. ubi recipitur mutatio, quam fecit, quoad Impedimentum Cognationis Spiritualis; in 5. pertinente ad tempus, quo Nuptiæ interdicuntur, atque ad earum præparationes; in 7. quod concursum quemdam introducit in promotione ad Beneficia Curata; in 9. pertinente ad qualitates primæ Tonfuræ requisitas, & Privilegia Tonfuratorum; in 10. restitui jubente munera Ordinum Minorum; in 11. approbante illos seorsim conferri cum aliquo interstitio; in 12, 13, 14. quæ jubent, ut Ordinandi alicui Ecclesiæ addicantur, vel determinant Ætatem requisitam ad Sacros Ordines, vel statuunt Examen, sive Scrutinium, ad Ordines, Candidatis subeundum; in 15. & 16. jubentibus, ut Clerici promoti ad Ordines, eos exercent antequam ad Superiores ascendant, utque Ordines gratis conferantur; in 17. docente, quemadmodum Clerici vivere, atque in omnibus se gerere debeant. Observatio circa curam, quâ Concilium 1. Rhemense à laudando Concilio Tridentino abstulit, dum ejus Decreta Disciplina describeret, confirmatur per Statutum 2. ubi de Fide, sanæque Doctrinæ agendo, jubet, eam in hujus Concilii Definitionibus hauriri, plurimamque ejus mentionem facit, quia, hoc in Capite, nullo temperamento opus erat, cum Gallia, quoad hoc, nihil in Concilio desiderare posset.

Ordines.

Fides.

CAPUT III.

Concilium ROTHOMAGENSE.

Concilium hoc an. 1581. habitum, sæpè Tridentinum laudat, sæpiusque ejus non laudati Decreta describit, recipiendo Professionem Fidei P I I IV. Tit. de Fide, unâ recipit Decreta Concilii Tridentini circa Dogma, in Professione hac enumerata: vel indicata, cum expressâ Concilii ejus mentione.

Breviarium.

T I T. de Cultu Divino, laudat Decretum Concilii Tridentini de Reformatione Breviarii, jubetque, ut juxta hoc Decretum, & Constitutionem P I I V. fiat.

Sacramenta.

Agendo de Sacramentis, præcipit Parochis, ut eorum effectus plebi exponant, juxta Doctrinam Catechismi Romani, qui ex Tridentini præcepto factus fuit. Eodem Titulo, loquendo de Baptismo, describit Statutum Tridentini Cap. 2. S E S S. XXIV. de Reform. Matrim. circa Patrinus, eorum qualitatem, numerum, Tabulas Baptismorum, & Cognationem proveniente ex Officio Patrini in hoc Sacramento.

Missa.

T I T. de Sacrificio Missæ, describit id, quod Concilium Sacerdotibus præcipit; nimirum, ut confitentur ante Missam, si possint. Describit pariter interdictum ejusdem Concilii, ne Presbyter scandalosus finatur celebrare, neve in Domibus privatis, & extra loca benedicta celebraretur.

Matrim.

Pauca sunt in Decretis Concilii Tridentini circa Matrimonium, quæ Synodus Rothomagensis non adoptaverit, sive illud laudando, sive non. Nam, postquam declaravit se optavisse, ut Decretum Concilii Tridentini circa Reformationem Matrimonii, promulgatum fuisset in Gallia, ut posset declarare nullum Matrimonium extra præsentiam Parochi, duorumque, aut trium Testium contractum, & sic perniciosis effectibus Matrimoniorum clandestinorum obviare; jubet, ut Plebs de hujus peccati atrocitate moneatur, deque Decreto, quod Concilium Tridentinum illi opposuit, & de pœna excommunicationis in fontes lata; denique suspendit ipso facto Sacerdotem huic Matrimonio assistentem, in hoc imitando Tridentinum. Deinde, describit Statuta Concilii circa Banna, tempus prohibitum, celebrationem ab alio, quam à proprio Parocho, libertatem Matrimonii, Matrimonium Gyrovagorum, Concubinatum extra vel intra Matrimonium.

Tom. I.

Decreta Concilii Tridentini circa qualitates Episcopatu requisitas, informationem de vitâ & moribus promovendorum, tempus ac locum consecrationis eorum, Residentiam, obligationem annuntiandi Verbi Divini leguntur quoque ibidem T I T. de Episcop. & Capitul. Idem est de Statutis Tridentini circa Dignitarios & Canonicos, eorum Ætatem, Gradus, Promotionem ad Ordines, Residentiam, & similia.

Officia Ecclesiastica.

Summa Decretorum Concilii Tridentini circa Ordinationem, Vistationem, Celebrationem Synodi Diœcesana, Electionem in ea faciendam Scrutatorum, sive quoad Ordines, sive quoad Beneficia, inferitur T I T. de Episcopi Officio.

Varia Decreta Concilii Tridentini congesta sunt sub TITULO de Officio Curator. aliorum Presbyteror. ac Paroecianor. Offic. Talia sunt 1. Decreta circa Residentiam Paroeciorum, eorum obligationem ad erudendum Gregem suum, modum augendi reditum Paroeciarum, quæ victum honestum præstare nequeunt; Concilium Tridentinum laudatur quoad Residentiam. 2. Decreta circa Tabulas Baptismi, & Matrimonii. 3. Decreta, quæ loquuntur de approbatione ad Prædicandum, & Confessiones audiendas, iis necessariâ, qui non obeunt illa munera ratione Beneficii sui, deque punitione Concionatorum, qui docent errores, vel scandalum sermonibus suis movent. 4. Decreta circa reductionem Missarum aliarumve fundationum. 5. Decreta circa obligationem audiendi Sacrum & Prædicationes, sive Instructiones, in Paroeciâ.

Pæraque Decreta de Regular. S E S S. XXV. collocata sunt in T I T. de Monaster. Talia sunt ea, quæ respiciunt obligationem servandi Vota Religionis, maximè votum paupertatis; Noviciatum, seu Probationem, & Professionem; libertatem quoad utramque; clausuram, vistationem, translationem Monasteriorum sceminarum, quæ ruri sita sunt: hic pluries laudatur Concilium Tridentinum. Sub T I T. de Jurisdictione Eccles. reperitur substantia Cap. 3. Sess. XXV. versantis circa usum Excommunicationis, & Monitoriorum. Ibi quoque decernitur Executio Decreti circa Seminaria, quæ fit deinde sub T I T. de Scholar. & Seminar. fundatione &c. nec semel Concilium Tridentinum laudatur.

CAPUT IV.

Concilium 2. RHEMENSE.

IN Epistolis Indictionis 2. Concilii Rhemensis an. 1583. legitur eam fieri consequenter ad Decretum Concilii Tridentini, circa celebrationem Conciliorum Provincialium.

In Præfatione Cardinalis GUISTACUS innuit, Statuta hujus 2. Synodi facta fuisse ad procurandam executionem Decretorum Tridentini necessariorum ad reformationem abusuum urgentium; dicendo, se, dum sperat quotidie, expectatque ampliorem publicationem Concilii Tridentini, providere interea restitutioni Disciplina, & ponendæ regulæ morum tam Cleri, quam populi: nam verba hæc amplior publicatio, significant eum habuisse in animo aliquam, sed minus amplam facere. Hoc confirmatur per subsequentia excerpta ejusdem Synodi, in quibus Decreta Concilii Tridentini laudantur, vel describuntur.

Executio Concilii.

Capite 1. Synodus omnia Decreta Concilii Tridentini circa Dogma, recipit unâ cum Professione Fidei P I I IV. quæ illa numerat inter Ecclesiæ Definitiones credendas & profitendas. Cap. 2. de Cultu Divino, juxta Decretum de Invocat. Sess. XXV. dicitur, nullam Imaginem novam venerationi Fidelium exponendam esse, sine approbatione Episcopi, ve ejus Vicarii.

Dogma.

T I T. de Ordine, non semel laudatur Concilium Tridentinum 1. Jubendo, ut Ordines conferantur juxta præscriptum ejus. 2. Verando, ne Beneficium, quod Titulo Clericali deputatur, resignetur, sine hujus circumstantiæ mentione, sub pœna nullitatis. 3. Monendo, ut, in Promotione ad Beneficia, observetur Statutum Tridentinum Cap. 18. S E S S. XXIV. circa

Ordines.

N 2

con-